

construitur, proprie notat hoc totum universum, cuius $\tau\alpha\chi\epsilon\alpha$
seu partes integrantes sunt cœlum tanquam continens, & astra
cum geocosmo nostro, tanquam contenta, per *Observ. III.* Ergo
astra seu luminaria mundi possunt dici $\tau\alpha\chi\epsilon\alpha \tau\gamma \kappa\sigma\mu\gamma$; sed solent
etiam frequenter ita dici, sec. *Propos. I. Scholium I.* unde vi *Postula-*
ti nostri tamdiu hanc propriam communemque significationem
tenemus, quamdiu id circumstantiae textus permittunt. Atqui

II. quo diligentius textum intuemur, eo magis illum
hanc proximam & immediatam vocum significationem non ad-
mittere solum, sed & poscere & urgere deprehendimus *Gal. IV.*
v. 8. Apostolus in memoriam revocat Galatis pristinam ipsorum
idololatriam, qua verum *Deum ignorantes servierint illis, qui*
natura non sunt DII. *v. 9.* quærerit, cur nunc, cum agnoverint
DEUM verum, revertantur ad elementa (mundi) egena qui-
bus πάλιν ἀνωγεῖται, rursum ab initio (wieder von neuen oder von
fornen an) servire velint, scilicet certo quodam modo, quem
clarius exponit *v. 10.* statim sequente: dies observatis & men-
ses & tempora & annos. Hic autem & antecedentia & conse-
quentia satis quid per elementa proxime intelligatur, declarant.
Dixerat *Paulus* initio, Galatas quondam serviisse iis, qui natura Dii
non sunt: si queras, quinam fuerint illi *natura non Dii*, responden-
dum erit, *idola* gentilibus religiose culta, non cæremoniæ ipse aut
statuta humana, quippe quibus proprie loquendo nemo servit,
sed earum observatione servit Deo sive vero, sive ficto. *Frustra*
colunt ME (inquit DEUS *Matth. XV. 9.*) *docentes doctrinam*
præcepta hominum. Quænam vero idola diligentius culta Gen-
tilibus, nisi *Mars, Jupiter, Saturnus, Apollo, Diana, &c.*? quæ
si quid sunt in natura rerum, sunt astra cœli his nominibus
vulgo insignita. Bene *Hieronymus* apud *Menagium l.c.* de die-
bus septimanæ: *Ethnici*, ait, *Idolorum & Elementorum nomini-
bus appellant.* *Idola sunt, Mars, Mercurius, Jupiter, Venus:*
Elementa vero, Sol & Luna. Jam cum Apostolus porro docet,
Galatas per hoc, quod dies & menses &c. observent, *reverti*
ad elementa, ut illis *rursum ab initio sive ab integro serviant,*